

» unire; vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis  
 » suppressis, cum patronorum consensu, si de jure patronatus  
 » laicorum sint, quarum fructus et proventus, reliquarum præben-  
 » darum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad paucio-  
 » rem numerum reducere: ita tamen, ut tot supersint, quæ divino  
 » cultui celebrando ac dignitati ecclesiæ commode valeant respon-  
 » dere: non obstantibus quibuscumque constitutionibus et privi-  
 » legiis, aut quacumque reservatione generali vel speciali, aut  
 » affectione: neque prædictæ uniones, aut suppressiones tolli, seu  
 » impediri possint ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore  
 » resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus, vel suspensio-  
 » nibus. » *Vid. cap. III, § 1, n. II (1).*

VI. Cum pensiones, quæ in Gallia, Belgio aliisque locis a gubernio solvuntur, locum teneant præbendarum, ut dictum est c. XXIX, § 2; capitula, quæ ecclesiasticis proventibus expoliati sive carentes, pensiones a gubernio recipiunt, idcirco non liberantur ab obligatione constituendi distributionum massam juxta Tridentinam legem, quas indebite absentes amittunt, et præsentibus cum suis percipiunt (2).

In his ecclesiis, in quibus nullus vel non sufficiens distributionum fundus existit, Episcopus indicere potest, ut singuli canonici tertiam partem pensionis in communi disponant pro distributionibus, prout S. C. Congregatio 23 Nov. 1850 respondit capitulo Tergestino, ubi mos erat, ut nulla reddituum pars assignaretur distributionibus: quapropter ab Episcopo Tergestino inter alia dubia propositum fuit: *V An et quomodo teneatur Episcopus partem reddituum capitularium cathedralis Tergestinae assignare pro distributionibus quotidianis?* S. Congregatio respondit: *Ad quintum affirmative, et Episcopus procedat ad formam sacri Concilii Tridentini, sessionis 22 cap. 3, de ref.* (3). Sic in Bulla erectionis diocesis Vallis Guidonis in Gallia 30 Junii 1855 (4) præscribitur: *Ex omnibus canonicalibus et mansionariis cathedralis ecclesiæ præbendis, quemadmodum in more est ita sacris canonibus institutum, tertia uniuscujusque præbendæ pars se-*

(1) Vid. Pallottini, *Distributiones* n. 87 etc.

(2) De Angelis lib. III, Decretal. tit. IV, n. 16; Bouix de capitulis p. I, sect. III, p. 1, cap. III; Acta S. Sedis vol. III, fol. 467; Craisson Manuale jur. Can. n. 2255 et 2261.

(3) Apud Bouix loco cit.

(4) In Analectis juris Pontif. 1863, fol. 2051.

*cernatur, eisque communis massa efformetur in quotidianas distributiones rationabili methodo iis tribuendas, qui nimirum divinis officiis in dies et horas canonicas præsentibus adfuerint.*

Cum autem canonici massam communem non habeant, sed unusquisque pensionem suam a gubernio accipiat, modus aptior videtur (1) constituendi punctaturas seu mulctas ad concurrentiam tertiæ partis pensionis sive præbendæ, quas absentes solvunt, et præsentibus lucrantur.

Duæ difficultates a nonnullis opponuntur: prima, quia stipendium a gubernio solutum, efficit, quod illi canonicatus inter beneficia computari non possint; hæc autem difficultas hodie opponi non potest post rescriptum S. Pœnitentiariæ diei 19 Januarii 1819 relative ad Belgium, in quo declaratur, ea stipendia naturam beneficiorum induere (2). Altera difficultas est consuetudo contraria; sed hæc etiam attendenda non est, non tantum quia contra Concilium Tridentinum consuetudo inolescere nequit, uti plures censent auctores; sed quia ista consuetudo esset irrationabilis, seu dans occasionem negligendi servitium chori, propter quem finem fuit incultata a Concilio Tridentino distributionum lex; et quapropter ea non obstante, S. C. Congregatio mandavit servari formam Concilii, ut liquet ex supra citata Tergestina (3).

#### § 4. *Quantæ distributiones et in quibus horis et officiis assignandæ.*

I. Quantitas distributionum in jure non est definita. Hæc varia esse potest pro qualitate ecclesiæ, loci, personarum ac præbendarum.

Distributiones tam tenues esse nequeunt, ut verisimiliter negligantur, sicut dicit Concilium Tridentinum sess. XXI, cap. III de reform. et prout docet sess. XXIV, cap. XV de reform. ut cum præbendis sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant. Cum Concilium Tridentinum sess. XXI, cap. III et sess. XXII, cap. III de reform. statuatur, tertiam partem fructuum, et quorumcumque proventuum et obven-

(1) De Angelis et Bouix locis cit.

(2) Vid. cap. XXIX, § 2.

(3) Vid. De Angelis et Bouix locis cit.

tionum, tam dignitatum, quam canonicatum, personatum, portionum et officiorum, separari debere, et in distributiones quotidianas converti; consequenter concludendum est, distributiones per se tantas esse oportere, ut in toto anno adæquent tertiam partem omnium fructuum, proventuum et obventionum.

Si omnes redditus in distributionibus consistant, vel ipsæ tantæ fuerint, ut tertiam partem omnium fructuum superent, consuetudines illarum ecclesiarum servandæ sunt, prout statuit Concilium Tridentinum sess. XXI, cap. III de reform. (1).

II. Distributionum quantitas inter omnes æqualis esse potest, sed non debet: nam 1° qui majorem dignitatem obtinet aut majorem subit laborem, majorem etiam mercedem et distributionem obtinere potest; meliora enim stipendia conferenda sunt juxta cujusque meritum et dignitatem (2). 2° Si proventus inæquales fuerint, et ex omnibus tertia pars pro distributionibus detrahenda sit; divisio inter deservientes eadem proportione ita fieri debet, ut, a quo plus ablatum est, sive qui plus contribuit, ille serviendo plus etiam lucretur ad ratam partem, quæ ablata est, sive quam contribuit (3). Itaque si in eadem ecclesia fuerit dignitas, quæ in annuis proventibus habeat mille aureos; fuerit item canonicatus, qui habeat quingentos; fuerit denique alius canonicatus, qui solummodo habeat ducentos, prout contingere potest, ubi præbendæ sunt distinctæ, ac separatos habent proventus: si unicuique istorum detrahatur pars tertia, quæ convertitur in distributiones quotidianas; æquum et justum est, ut in his casibus distributio fiat *proportionabiliter*, hoc est, ut is, cui plus detractum fuit ex grosso sui beneficii, aliquid amplius accipiat ex distributionibus quotidianis, secundum modum et proportionem ejus, quod amplius ipsi detractum fuit. Quod ipsum est, quod Concilium Tridentinum voluit, statuendo tertiam partem fructuum per Episcopum dividi proportionabiliter, inter obtinentes dignitates, et cæteros qui divinis intersunt (4).

III. Taxa distributionum in omnibus horis et officiis æqualis esse non debet, sed major statuenda est pro horis majoribus et

(1) De Angelis lib. III, tit. IV, n. 16.

(2) Moneta p. 2, q. IV, n. 1 et 2, Scarfantonus lib. IV, tit. XIV, n. 47 et seq.

(3) S. C. C. 1581, dub. 3, Alexandrina; 15 Ap. 1592, dub. 3 et 4 *Bosanen*; 13 Januarii 1624, dub. 1, *Terracinen*. apud Zamboni *Capitulum eccl.* § IV, n. 3, 7 et 8; 15 Maji 1790, § 4, *Firm. Distr.* ibidem tom. 4, distributiones § III.

(4) Ita Barbosa de canonicis cap. XXI, n. 25; Lucidi vol. 1, fol. 264, n. 39.

diebus solemnibus, ut canonicos alliciat, ad illis interessendum (1). In majoribus horis scilicet matutinis, summa missa et vesperis notabiliter majores sint distributiones, quam in minoribus horis; nec tamen in minoribus horis tam exiguæ ut negligantur (2).

IV. Singulis horis canonicis et missæ conventuali distributiones quotidianæ assignari debent (3). Quapropter juxta S. C. declarationem (4) distributiones quotidianæ, quæ acceptæ fuerunt ex tertia parte fructuum dignitatum alicujus ecclesiæ, assignari debent, non duabus tantum horis canonicis, sed etiam reliquis omnibus aliis, quibus qui non interfuerit, distributionem amittit. Licet igitur nonnulli censeant, juri quidem magis consentaneum et conveniens esse, ut pro singulis horis canonicis æqua fiat punctaturarum vel distributionum partitio; valere tamen statutum et consuetudinem, ut mulcta vel distributio pro quibusdam tantum assignetur horis, quibus qui interfuerit, hac die nullam mulctam contraxit, et totam distributionem lucratus fuit (5): juxta alios autem non valet ea consuetudo, ut canonici solum aliquibus intersint horis canonicis, et pro reliquis non sint assignatæ distributiones. Et hinc S. C. Congregatio in *Novarien. Distributionum* 1660 improbavit consuetudinem jam diu receptam in ecclesia cathedrali Novarien. et canonizatam per Legatum Apostolicum, juxta quam canonici dictæ ecclesiæ, interessendo tantummodo matutino, laudibus, missæ conventuali et vesperis, lucrabantur omnes distributiones, ac si reliquis etiam horis minoribus interessent, ut refert Card. de Luc. de canonic. disc. 10, n. 2 (6). Item in *Colonien.* 17 Decembris 1859 rescripsit, esse locum reformationi statutorum, quæ præscribunt, ut pro quibusdam tantum horis assignetur distributio vel punctatura; ita scilicet ut fiat æqua distributionis vel mulctæ partitio pro singulis horis, et canonici toti officio divino interesse teneantur (7).

Non tantum horis canonicis, sed et missæ conventuali, etiam

(1) Acta S. Sedis vol. XII, fol. 357. Moneta p. 2, q. III, n. 19.

(2) Ita Conc. Prov. Mechliniense 1570, tit. IV, c. II.

(3) Garcias de benef. p. 3, c. II, n. 487-489; Barbosa de canonicis cap. XXI, n. 20; Moneta p. 2, q. III, n. 1-4.

(4) Apud Garciam loco cit. n. 489.

(5) Barbosa de canonicis cap. XXI, n. 22; Pirhiac lib. III Decretal. tit. IV, n. 98; Votum apud Lucidi vol. 2, fol. 599, n. 76.

(6) Ita Scarfantonus lib. 2, tit. VIII, animadv. 18.

(7) Apud Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 2, postulat. IX, fol. 597.

secundæ et tertîæ, si celebranda sit, distributio vel mulcta assignanda est. Has enim missas divini officii partes efformare ostendunt et probant rubricæ generales missalis et constitutio Benedicti XIV *cum semper oblatas* 1744, §§ 11 et 20. Missa venit appellatione divinatorum officiorum, et æquiparatur horæ canonicæ: propter quod missis, quæ canonicis a rubricis cantandæ præscribuntur, assignandæ sunt distributiones veluti horariis precibus (1).

Processionibus etiam assignandæ sunt distributiones juxta quantitatem precum et temporis insumendi. In iis quæ fiunt intra ecclesiam, tantum quantum dari solet iis, qui intersunt horæ tertîæ, et si longior sit processio, triplum dandum (2).

Item conventibus capitularibus et aliis similibus quæ a canonicis communiter et collegialiter fiunt, portio aliqua distributionum assignari potest (3).

V. Canonici legitime non impediti, tenentur collegialiter et cum habitu canonicali intervenire sacris concionibus tempore adventus et quadragesimæ (4). Quinimo tempore quadragesimali cogi possunt sub pœna amissionis distributionis illius diei ad assistendum concionibus (5), et juxta varia decreta, quæ affert Lucius Ferraris (6), Episcopus statuere potest, ne canonici et alii de capitulo discedant ab ecclesia tempore concionis, et quod illi intersint quotidie sub pœna amissionis distributionum illius diei, in qua defuerint. Juxta responsum autem S. C. Congregationis (7) canonici tempore adventus sunt hortandi, non vero cogendi.

#### § 5. *Modus faciendi distributiones.*

I. Ad Episcopum pertinet modum determinare, quo distributiones fieri debeant (8); prout Concilium Tridentinum sess. XXI,

(1) Ita Scarfantonus lib. 2, tit. XIV, n. 48; S. C. C. 18 Mart. 1854, in *Mexicana, Servitii chori* apud Pallottini *Canonici*, § VII, n. 167.

(2) Gavantus *Manuale Episc. Processio*, n. 28; Scarfantonus lib. 2, tit. XIV, n. 22 et 23; Barbosa de canonicis cap. XXI, n. 21; Moneta p. 2, q. 111, n. 14.

(3) Barbosa et Moneta loco cit.

(4) S. R. C. 31 Martii 1703, *Pompeji Stabbiæ*; 7 Julii 1725, *Piacentina* ad 9.

(5) S. R. C. 26 Mart. 1672, *Aquilana*.

(6) *Distributiones quotidianæ* art. II, n. 35.

(7) 10 Mart. 1663, in *Urbinate*, apud Pallottini *Canonici*, § VII, n. 183.

(8) S. C. C. 31 Mart. 1770 in *Cephal.* § *Ad tramites* apud Lucidi de *Visit.* SS. Lim. vol. 1, fol. 261, n. 33; Bouix de capit. p. 1, sect. III, cap. II, § II, n. 4.

cap. III de reform. *statuit tertiam partem separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates, et ceteros divinis interessentes, proportionabiliter, juxta divisionem ab Episcopo faciendam, dividantur*: et sess. XXII, cap. III de reform. *Episcopi tertiam partem in distributiones; eorum arbitrio assignandas, dividere possint: ut scilicet, qui eas obtinent, si personaliter competens sibi servitium juxta formam, ab eisdem episcopis præscribendam, quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant.*

Episcopus tamen arbitrarie procedere non potest. Unde cum a S. R. Congregatione petitum fuisset, an Episcopo canonicos, qui eum in solemnitatibus ad ecclesiam cum cappa magna accedentem comitari recusant, in distributionibus quotidianis mulctare liceat? S. R. C. respondit: *Quoad distributiones non posse, cæterum utatur jure suo* (1): et uti alia vice ad petitionem: An debeantur distributiones canonicis, qui tempore horarum canonicarum exeunt proprio Marte a choro ad celebrandam missam? respondit: *Episcopus utatur jure suo juxta decreta S. Congregationis tam in hoc quam in iis, quæ respiciunt disciplinam chori* (2).

II. Capitulum per se non habet auctoritatem statuendi circa modum et formam lucrandi distributiones (3), ut patet ex præcedentibus, in quibus hoc Episcopo exclusive attribuitur.

III. Dignitates, canonici omnesque chorales æque punctis notandi sunt ad mentem sacri Concilii Tridentini et decretorum S. Congregationis, non obstante consuetudine (4).

IV. Ubi distributiones non existunt, et earum loco punctaturæ institutæ sunt, hæ punctaturæ distributionum naturam et conditionem induunt, ut dictum est § 3, n. III; atque ipsæ leges, quæ pro distributionibus valent, eadem quoque punctaturas servandæ sunt, eo tantum discrimine, quod in illis absentes statutam distributionem non percipiant, in his autem mulctam eidem distributioni respondentem de suo solvere teneantur (5).

(1) 27 Ap. 1697, *Lamacen.*

(2) 10 Sept. 1701, *Cortonen.* ad 9.

(3) Scarfantonus lib. 2, tit. IX, animadv. 31; Barbosa de canonicis cap. 42, n. 74.

(4) S. C. C. 3 Mart. 1668 *Acherutina et Matheraten.* apud Zamboni *Dignitates* § VI, n. 4.

(5) De Angelis lib. III, tit. IV, n. 16; Lucidi de *Visit.* SS. Lim. vol. 1, fol. 261, n. 32.

V. Distributiones quotidianæ dividi possunt, v. g. in tres aut quatuor partes pro matutino cum laudibus, in unam partem pro prima, unam pro tertia, duplicem pro missa, unam pro sexta, unam pro nona, et duplicem pro vespers et completorio. Dividi etiam possunt in tres partes, quarum una pro matutino cum laudibus et prima, secunda pro tertia, missa, sexta et nona, tertia pro vespers et completorio (1). Computari quoque possunt pro singulis vicibus, quibus ad ecclesiam acceditur, prout æquum et justum censetur, prout statuta approbata præscribunt, aut consuetudo legitima introduxit.

§ 6. *Quibus debentur distributiones.*

I. Distributiones debentur præsentibus juxta Concilium Tridentinum, quod sess. XXIV, cap. XII de reform. statuit, ut *distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant*; atque juxta cap. *Consuetudinem* in VI. lib. III, tit. III, ubi Bonifacius VIII statuit *ut distributiones ipsæ quotidianæ, canonicis ac aliis beneficiatis, qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis affuerint, tribuantur juxta ecclesiæ cujuslibet ordinationem rationabilem* (2).

II. Ut autem præsentibus sint, requiritur, 1° ut in choro suisque locis existant, ita ut non sufficiat, per ecclesiam incedere tempore, quo horæ in choro cantantur (3); 2° ut in habitu canonicali seu choralis assistant; qui enim præter Episcopos in habitu Prælatitio vel in habitu Protonotarii intersunt, distributiones amittunt (4); 3° ut alta voce psallant, ut dictum est cap. XXVI, § 6 (5).

III. Præterea ad præsentiam requiritur assistentia ab initio usque ad finem officii. Non quidem distributionibus continuo privandi sunt, qui ab initio non adsunt, aut non permanent usque ad officium totaliter finitum, nisi ex fundatione, statuto aut consuetudine ita fieri oporteat, sicut præscribitur in erectione episcopatum provincie Mechliniensis 1560 *Ex injuncto* (6) et in primo concilio

(1) Pallottini *Canonici* § VII, n. 167; Acta S. Sedis vol. XII, fol. 357.

(2) Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 172.

(3) S. R. C. 14 Junii 1608, *Fulginate*.

(4) S. R. C. 31 Mart. 1640, *Lauden*; 2 Jul. 1640, *Assisien*; 8 Feb. 1642, *Nucerina Paganorum*; Lucius Ferraris *Distributiones quotidianæ* art. 2, n. 25-27; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. I, fol. 291, n. 97 et 98. Vid. cap. VII, § 14.

(5) Pallottini *Distributiones* n. 307 et seq.

(6) Apud Van Gestel, *Historia Archiepiscopatus Mechl.*, fol. 31.

provinciali Mechliniensi 1570 tit. IV, cap. III. Extra istos casus absentia sive in principio, sive in fine officii moraliter æstimanda est, an scilicet sit notabilis et mulctanda, an autem levis et indulgenda. Alicubi statuta præscribunt, distributionibus privari illos, qui in missa non adsunt ante finem ultimi *Kyrie eleison*, et alibi ante primam orationem (1); et similiter illos, qui accedunt post invitatorium (2), aut officio non intersunt ante finem primi psalmi, sive ante *Gloria Patri* primi psalmi, et usque ad finem permanent, excepta necessitatis causa (3).

Hæc necessitatis causa, adesse censetur, dum finita prima canonicus una cum ministris e choro abscedere debet, missam cum cantu celebraturus, ut juxta rubricas missalis in ritu celebrandi tit. 1, orationi aliquantulum vacet, paramentis sese induat, et post tertiam absque ullo intervallo missa canatur juxta rubricas generales tit. XV. Quod pariter dicendum est, quando, finita missa, statim a choro sexta inchoatur, dum interim celebrans et ministri ad sacristiam redeunt, ad sacras vestes deponendas. Quapropter tum ministri, tum celebrans hæc peragentes, et etiam ad recitationem sextæ et nonæ non redeunt, moraliter choro adesse censentur, ac propterea distributiones participare possunt. Idque eo fortius, quia omnium fere capitulorum consuetudo est, ut tales canonici nedum haud punctentur uti absentes, sed etiam distributiones percipiant veluti præsentibus (4).

Bene hic notandum est, etsi sufficiat ad integram distributionem percipiendam, si quis adsit ante orationem aut ante finem primi psalmi, hoc tamen non sufficere ad plene satisfaciendum obligationi choralis, quæ exigit, ut unusquisque adsit ab initio usque ad finem, sicut obligatio recitandi horas canonicas, quam lex omnibus in majoribus ordinibus constitutis imponit, ordinat et præcipit, ut omnes horæ ab initio usque ad finem debite persolvantur. Quamdiu parvus erit defectus, numquam grave erit delictum; quodcumque autem aderit defectus, semper habebitur delictum. Quod ob brevem absentiam pœna non irrogetur, hoc non significat, eandem permissam et licitam esse, sed longiorem non indulgentiam, et etiam puniendam.

(1) Scarfontonus lib. 2, tit. XIV, n. 49, primum Conc. Prov. Mechl. 1570, tit. IV, cap. III.

(2) S. C. C. 27 Sept. 1732, in *Salernitana* apud Pallottini *Canonici* § VII, n. 182.

(3) Conc. prov. Mechl. 1570 loco cit. et 1607, tit. XII, cap. IV; Giraldis *Expositio jur. Pont.* p. 1, sect. 608, fol. 436, *Præterea*; Moneta p. 2, q. III, n. 23.

(4) Acta S. Sedis vol. X, fol. 241 et 245.